



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

De quadam vinea in Chrems.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

fratribus, Archiepiscopis & Episcopis ad quos litteræ istæ peruenerint, salutem & apostolicam benedictionem dilecti filij Abbas *Præmonstrat.* & alij Abbates sui ordinis coram nobis exponere curarunt, quod cum canonici eiusdem ordinis comorantes in parochialibus Ecclesiis ad ipsos spectantibus, aliquo casu delinquerent, ita quod expediret eos ad claustrum suum recepturos disciplinam ordinis reuocari. Quidam vestrum indignum fauorem impendentes eisdem, ipsos retinere conantur in locis in quibus nequeunt absque scandalo & ecclesiarum ipsarum dispendio comorari. Ad hæc cum in eorum aliquos propter suos excessus excommunicationis sententiã prouulgatis, relaxare non uultis eandem nisi pœna pecuniaria præcedente. Ideoq; uniuersitatẽ vestram ad instar bonæ memoriæ H. PP. prædecessoris nostri rogandã duximus & mouendam per apostolica uobis scripta mandantes, quatenus cum dicti Abbates tales ad claustrum propter scandalum & ecclesiarum dispendiũ uitandũ, seu etiam pro disciplina monastica, circa delinquentes huiusmodi exercenda duxerint reuocandos non obstitatis eidem, nec illis fauorem indebitum impendatis, sed instituentes prout ad uos pertinet, in ipsis Ecclesiis alios uobis præsentatos ab ipsis delinquentes reuocari, ad claustrum liberè permitteatis disciplinam ordinis recepturos ne aliter faciendo tribuatis eis audaciam detractandi obedientiæ iugum & ipsorum Abbatum potestatem quodammodo enuetis. Illud autem distriktius inhihemus, ne pro relaxandis excommunicationis sententiis prouulgatis in ipsos pœnam pecuniariam exigatis, cum nec habeant proprium, nec illorũ culpa debeat in Ecclesiæ dispendium redundare. Datum *Agnania* IV. Non. Nouembris. Pontificatus nostri anno secundo.

#### De quadam uinea in *Chrems.*

**N**OS Capitulum *Pat.* Ecclesiæ per præsens scriptum notum facimus uniuersis, tam præsentibus quàm futuris. Quod fratres de *Osterbouen* habuerunt uineam incultam in monte qui dicitur *Pfassenberg.* Uineam illam *Otto* inclusus suscepit excolendam in remissionem peccatorum suorum, tali tamen interposita conditione, quod unam unam uini eo uiuente claustro præfato singulis annis persoluere non obmittat uinea de eadem. Præterea prædictus *Otto* habuit uineam uinea fratrum prædictorum contiguam, quam præfatis fratribus de *Osterbouen* post diem obitus sui tradidit diuinæ remunerationis intuitu, ut in festo *B. Osuualdi*, ipsius & uxoris suæ *Irgardis* memoria annis singulis celebretur de prædictarum fructibus uinearum. Ut autem testamentum illud ratum sit, & prædicti fratres securi esse possint à suorum impulsatione amicorum, *D. Engelschalcus* Iudex, *Heinr. Goltstein Chunr. Setzer* ciuis *Pat.* prædictis fratribus de *Osterbouen* pro *Ottone* incluso fide iusserunt. In cuius rei testimonium præsentem paginam tam nostra quam prædictorum fratrum de *Osterbouen*, sigillis fecimus roborari.

#### Precarium in *Entau.*

**A**lbertus Dei gratia Comes de *Pagen*, omnibus hac litteras inspecturis, salutem & plenitudinem omnis boni. Notum facimus præsentibus & futuris quod Curiam unam in villa *Satsdorf* tradidimus Ecclesiæ sanctæ *Margarete* in *Osterbouen* perpetuo possidendam. Præterea nouerint uniuersi quod fratres præfate Ecclesiæ Curiam in *Entau* uel *Marquardo* Magistro pistorum commiserunt, ut annuatim eis soluat inde censum constitutum, ita tamen ut eo decedente nullus hæredum, nullus amicorum suorum, aliquid iuris habeat in

Curia.